

Itaque Euclidis theorema multorum antecedentium subsidio indigeat, de quibus Ptolemæus in quodam libro disseruit, quem postea Proclus citat ad 29 p 1. Geminius eodem tendit, aitque ridiculum esse eas sententias velut indemonstrabiles facere, quarum conversæ sunt demonstrabiles. Hujus autem sententiæ. Si duæ rectæ recta connexæ faciant angulos interiores duobus rectis minores, concurrent, conversam: Si duæ rectæ concurrent, connexæ recta facient angulos interiores minores duobus rectis, esse demonstrabilem, imo ab Euclide ipso 17 p 1 demonstratam. Quamobrem Proclus pro Ptolemæo & Gemino adversus Euclidem pronuntiat hic axioma nullum esse, sed theorema valde demonstrabile. Argumentatio tamen Ptolemæi sustineri possit, si intelligamus rectas in eodem plano: quia productæ concurrent: Gemini logica pressior est: ut vel axioma istud ex axiomatis sit tollendum, vel 17 p 1 é numero propositionum eximenda: at antecedentem & conversam propositionem malim constituere in principiis, quia veritas protinus é perpendiculari, regula quippe parallelismi possit intelligi. Et Euclidis elenchus hinc natus est, quod Posidonii Geometria illa in parallelis omissa est. Nam si docuisset Euclides parallelas communibus perpendicularis dividi, é contrario contrarium utique jam perciperetur, quia duæ rectæ recta connexæ communibus perpendicularis non dividerentur, parallelas non esse. Itaque axioma istud undecimum est consecutarium é definitione parallelarum, ut nos in geometria fecimus.

12 *Et duæ rectæ aream non comprehendunt.* Consecutarium est é rectilinearum figurarum prima specie trilatera: ut patet 6 e 6: utitur autem Euclides hoc theoremate ad 4 p 1.

## SEPTIMI LIBRI FINIS.

## PETRI RAMI MATHE-

## MATICARUM SCHOLARUM

## LIB. VIII. IN PRIMAM PRIMI

elementorum partem de lineis & triangulorum ratione.



ERUNT AMEN de principiis hætenus, quæ plerique labefactare conati sunt, Epicurei præsertim, qui totam mathematicam vel ignorabant vel aspernabantur. Epicurus ipse Polyænum (cum voluptatis illecebris pellexisset) quamvis magnum mathematicum, attamen Geometriam dedocuit, eiq; falsam esse persuasit (ait Cicero.) Deinde ex Epicureis Zeno Sidonius disputavit etiam é principiis propositiones nequaquam demonstrari. Zeno (inquam) Epicureorum acutissimus, ideoque & eorum princeps & coryphæus appellatus: hic cæteros philosophos figebat maledictis, Socratem scurram Atticum, Chrysippum nunquam nisi Cysippam vocabat, ab hoc Cicero Epicuream philosophiam didicit, ut est 3 Tusc. & primo de natura deorum. Hic igitur philosophus, Geometras præcipue exercuit, sed